



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Siricius aliquot decretis disciplinam iuvit. Superiores Clericos ab usu uxorum abstinere, iussit; consuetudinum in legem vertens, poenâ adjectâ, auctoritate sedis suæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

vide lib. 1. c. 7.

primum illi suffragium delatum, (quod prærogativam suffragij dixeret veteres, cum de principibus Romanis loquerentur) non autem factum ut solus sibi jura illa vindiceret. Potiorem eum fuisse, non solum.

II. Tamen discedere non possum ab eo privilegio quod tributum fuisse Romanæ sedi veteres Imperatores agnoscunt; præcipue cum antiquæ regulæ Basilij & Iulij non adverteretur. Hilarius Episcopus Arelatensis metropolitana dignitate cognitione Leonis I. Summi Pontificis in Concilio Romano habita dejectus est anno CCCCXLV. Quam sententiam Valentiniani Imperatoris rescripto muniri, ut illius executio nulla cavillatione impediretur, Leo facile impetravit. Sed illius Constitutionis expendenda sunt verba, quæ Novatoribus hujus sæculi sanguinem suffundere possunt: *Cum igitur, inquit, sedis apostolicæ primatum B. Petri meritum, qui est princeps sacerdotalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi firmitatis auctoritas.* Ex eo scilicet primatu comparat argumentum, quo fulciantur ea quæ deinceps statuit de jure ferendarum legum, his verbis: *Verum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus ne quid tam Episcopis Gallicanis quàm aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ tentare: sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas.* Hæc novella Valentiniani

III. Constitutio Codici Theodosiano adjuncta est; cujus Codicis usus apud Gallos, Romanæ Legis nomine, in rebus ecclesiasticis invaluit. Id docent & canon primus Concilij Aurelianensis congregati anno DXXI. & canon XX. & XXI. Synodi Turonensis II. anno DLXVII. & Hincmarus Remensis Archiepiscopus. Imò etiam ex Clotarij Regis edicto, Romanis legibus Codice Theodosiano comprehensis, Romanorum, id est, Gallorum, qui à Francis non trahebant originem, contentiones dirimebantur. Vnde illustrari debet insignis Agathie locus, qui ait Francos politia Romana ut plurimum uti, & *Legibus iisdem.* Itaque profiteri possumus Valentiniani Constitutionem per Gallias vim legis, etiam post deletum Imperium Romanum, consensu & edicto Regum obtinuisse.

III. Nolim tamen quod è Valentiniano protuli, eo sensu accipi, ac si tum primùm legis ferendæ auctoritas sedi apostolicæ à Principe collata esset, cum tantum eo rescripto fota sit & confirmata. Etenim ante

hujus Constitutionis promulgationem, decreta quædam generalia à Romanis Pontificibus edebantur, quæ missa per provincias, disciplinæ ecclesiasticæ ordinem ubique sancirent. Quæ à Liberio profecta sunt, ejus sunt generis, ut dignitate primum locum sibi facile vindicent. Trecentis è toto Occidente, per literas Constantij Principis, evocatis Ariminum Italia urbem Episcopis, & dolo aut minis eò additis ut *Consubstantialis* vocem è formula fidei Nicææ edita delerent, Liberius, qui Concilio Ariminensi non interfuerat, Concilij istius profanam sententiam, utpote fidei & Nicææ formulæ adversam, decretis suis infregit, hoc insuper addito, in quo à plurimis peccabatur, ne baptizati ab Arrianis ad denuo suscipiendum baptismum redigerentur; decretaque sua hac de re edita per provincias emisit, ut testatur Siricius Pontifex his verbis: *Quod non licet, (id est, Baptismum ab Arrianis collatum iterari) cum hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad provincias à venerande memoriæ predecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.* Damnatio à Liberio de Synodi Romanæ sententia in Concilium Ariminense prolata, omnes Occidentis Episcopos, qui se Arrianos esse mirabantur, ut loquar cum Hieronymo, eò adegit, ut per provincias frequentibus synodis habitis, quam in Generali Concilio perfidiam amplexi erant, saniori mente damnarent, & Liberij communioni, à qua exciderant, hoc pacto restituerentur. Hoc testatur Orientalibus Episcopis ipse Liberius: *Omnes illi ferè Episcopi, qui Arimini convenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, à fide tum quidem desciverant, nunc tamen ad sanam mentem reversi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini convocatis editæ anathema denuntiarunt, & fidei catholice & apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum jam unâ communicant.* Quod autem sincera fides & Canonum disciplina his decretis confirmatur, eorum quidem justiciam commendat, nihil autem de auctoritate Pontificis detrahit: quæ in eo viget, quòd Decreta illa generalia sint, & per provincias mittantur, ad exemplum edictorum & principalium constitutionum, nec circumscripta sint sinibus Romanæ Dioceseos, ut ceterorum Patriarcharum Decreta, quæ suis cujusque Diocesis continentur.

IV. Qui secuti sunt Liberium Pontifices, Constitutis generalibus, fidei & disciplinæ caverunt, ante Valentiniani Imperium. Siricius (cujus tempus confertur

Can. 1. Conc. Aurel. De homicidiis, adulterio, & similibus. si ad Ecclesiam confugerint, id observandum de ceteris quod ecclesiasticis canonibus decreverunt, & lex Romana constituit. c. xx. Syn. Tur. Quia etiam Lex Romana constituit. c. xxi. Sæcra futurum legum. Edictum Clotarij anno 560. Inter Romanos negotia causarum Romanis legibus præcipuum terminari. Agathias Histor. l. 1.

Siricius in Decretis c. 1.

Liberius ep. ad Orientales.

Conc. cap. 1. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1.

Liberius

in annum cccxcv. statim ab obitu Damasi) consultationi Himerij Tarraconensis Episcopi ea rescripsit quæ ab omnibus custodiri jubet. Sanè totius epistolæ contextus id unum spirat, ut non solum Episcopi quinque provinciarum Hispaniæ suis Decretis pareant, sed omnes in universum Sacerdotes & Clerici. Enimvero quibusdam in locis vis illa præcipiendi sese prodit, ut capite VIII. quo cavetur ne inexplorata vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad Cleri dignitates promoveantur. Hanc definitionem verbis istis claudit: *Quid ab universis post hæc Ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus. Quin & decreta sua canonibus exæquat, his verbis: Quamquam statuta sedis apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli ignorare sit liberum. In nullo autem capite illustrius emicat eximia illa sedis apostolicæ auctoritas quam in ea Constitutione Siricij quæ Sacerdotibus, Presbyteris, & Ministris fibulam imposuit, & usu conjugum, quas duxerant ante ordinationem, severè interdixit. Scio equidem tres illos gradus Vniversalis Ecclesiæ consuetudine (cujus testes sunt locupletissimi Eusebius, Hieronymus, Ambrosius, & Epiphanius) ad eam temperantiam astrictos fuisse. Sed multum interest inter Consuetudinem & Legem. Consuetudo violata, pudore contemptores plectit; Lex verò contumaces gradibus suis mulctat. Paphnucius, cum de hac lege in Nicæno Concilio facienda ageretur, scilicet ut superioris gradus Clerici ab uxoribus suis absterent, ab ea promulganda Patres avertit, relinquendisque consilio suo Clericos hac in parte suasit; cum satis cælibatui prospectum videretur canone Neocæsariensi, quo cautum est ne Presbyter uxorem ducat, alioqui gradu suo pellatur; ut docent Sozocrates, Sozomenus, & Gelasius Cyzicenus; quorum narratio apud me nulla suspitione laborat, licet viris celeberrimis aliud videatur. Sed quod in Concilio Nicæno tentatum fuerat, ratione temporum suadente Siricius in necessitatem vertit, & consuetudini vires legis addidit, pœnis in contemptores inflictis, sedis suæ auctoritate. Hi verò, inquit, qui illiciti privilegij excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos. His verbis planum facit pœnam illam è veteri consuetudine non esse profectam, sed nunc primùm à se ex privilegio sedis suæ sancitam. Quod etiam eleganter colligitur ex Innocentio, qui aliquot an-*

nis post Siricij constitutum veniam legis facit iis quibus nondum fuerat nota. *Si ad aliquos, inquit, forma illa ecclesiastica vitæ pariter & disciplina, quæ ab Episcopo Siricio ad provincias commearit, non probatur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere. Subdit verò: Si qui autem scisse formam vivendi missam à Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus abjiciendi, qui post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem. Hæc juris ignorantia locum habet ratione pœnæ novo quodam jure, quod nondum satis cognitum est, decreta; non verò si qua legibus antiquis pœna indicta esset; à quibus se tueri ignorantia juris nemo potest, ut docent Iuriconsulti.*

Porrò isthæc Siricij constitutio non solum Urbicariæ Diœceseos vel etiam Italiæ finibus conclusa est, sed etiam ad Africanas provincias commearit. Africani nulla certa lege scripta ad continentiam illam Clericorum obstringebantur ante Concilium quod Synodum Carthaginensem sub Genetlio habitam antecessit. Etenim secundo canone hujus synodi (quæ coacta est anno cccxc.) refertur, *in Concilio præterito, cum de continentia & castitatis moderatione tractaretur, tres gradus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconarum, conscriptione quadam, castitati per consecrationes annexos fuisse. Vnde constat tunc primùm, in Concilio præterito, id est, ad summum anno cccclxxxviii. ea de re scriptam fuisse legem apud Africanos. Atqui Siricij epistola ad eosdem decreta fuerat in synodo Romana anno cccclxxxvi. ut necesse sit, post tempora Siricij constituti, ante annum cccxc. de hac continentia tractasse Concilium Africanum. Cujus definitio, ob quorundam refragationes, renovanda fuit canone secundo dictæ synodi Carthaginensis habitæ sub Genetlio. Porrò ut proniores redderentur Clerici ad ejus continentie observationem, Patres, exemplo Siricij, eam ab Apostolis & ab ipso antiquitatis usu arcessunt. Continentiam enim & pudicitiam, quam Episcopis præscribit Apostolus, ad hanc speciem, interpretatione sua ex usu petita, non ineleganter trahunt; etsi prima hujus discipline necessitas à Siricij constitutione & à priore Concilio Africano initium sumpserit. Quare non absque ratione in Concilio Carthaginensi V. habito anno cccxcviii. cum de incontinentia Clericorum referretur, placuit Patribus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ab*

Innoc. in Decr. c. 21.

Conc. Carth. II. c. 2.

Conc. Carth. V. c. 1.

D iij

Sicut in Decretis c. 1111. & xv.

Euseb. lib. 1. Dem. Evang. c. 9. Epiph. hæres. 49. Ambros. de Offic. l. 1. cap. ult. Hieron. lib. 1. adversus Iovin. & Ipealib.

Conc. Neocæsar. cap. 1. quod Concilium edictum efficit. Concilium Nicænum. Sozocrates lib. 1. cap. 8. Sozomen. lib. 1. c. 11. Gelasius Cyzicenus.

Sicut in Decretis cap. 7.

De Concordia Sacerdotij

vxoribus abstinere, secundum priora statuta, id est, juxta duorum Conciliorum antecedentium definitionem. Tandem in Zeleni Concilio dubitantibus Episcopis quid binis Siricij epistolis ad Africanos constitutum fuisset, relecta illa anno CDXLIII. & juxta earum praescriptum decreta sunt iterum aliquot disciplinae capita; quorum summam retulit Ferrandus Diaconus in Breviatione Canonum. Inter cetera vero capita non omisum est illud quod Clericorum continentiam sancit.

Macedonia quoque, Thessalia, & Graecia, quae inter Occidentis Ecclesias recensentur, hujus constitutionis observantione a finitimis Orientis Ecclesiis distabant. Etenim Socrates dum varias provinciarum consuetudines in jejuniis & aliis disciplinae capitibus enumerat, hanc in Thessalia, Thessalonica, Macedonia, & Graecia inania invaluisse observat, ut Clero deiciatur qui non abstinerit ab uxore, etiam legitime ante ordinationem ducta: quamvis, ut scribit idem auctor, in Oriente hoc quidem ab Episcopis & illustrioribus Clericis custodiretur, sed nulla legis necessitate adstrictis. Non meminit quidem Socrates constitutionis a Siricio editae, qua Macedonicae Dioceseos Episcopi tenerentur. Sed qui dejectionis poenam in Macedonia, Thessalia, & Graecia inflictam considerabit, non eam aliunde repetere poterit quam a prima illius origine, id est, a Siricij auctoritate, qui Socratis historiam quinquaginta annis antecessit.

V. Innocentius ipse Decretis suis Occidentis Ecclesias ornavit; imò & ipsam Antiochenam Ecclesiam, quae caput est Orientalis Dioceseos, constitutis suis disposuit. Etenim cum de jure ordinationum suborta esset apud Episcopos illarum partium contentio, hinc ex usu quodam provinciarum suarum ordinationes Metropolitanis sibi vindicantibus, inde Alexandro Episcopo Antiocheno, Episcoporum non solum provinciae suae, sed etiam totius Dioceseos Orientalis ordinandorum jus sibi ex praescripto Concilij Niceni asserente; Innocentius consultus rescripsit quae illi aequiora videbantur, quaeque vim suam per Orientem obtinuerunt, ita ut Antiochenus Episcopus plenam ordinationum auctoritatem receperit. Hinc est (ut mihi quidem videtur) quod triginta exinde annis elapsis, Juvenalis Episcopus Hierosolymorum in Concilio Ephesino dixit, morem invaluisse, ut sedes Antiochena ex apostolica quadam consuetudine a Romano Episcopo disponeretur, & judicium ac-

ciperet. Qui locus satis obscurus erit, nisi hinc lucem accipiat. Certum quidem est Pauli Samosatani Antiochiae Episcopi causa ultimo judicio in Concilio Romano decisam. quod referri potest ad τὸ δικάζου. Sed nihil est quod respondeat τὸ Ἰηροδου, praeter Decreta Innocentij.

Zozimus monachorum (quorum, inquit ille, solitudo omni frequentia major erat) & laicorum ambitum, qui ad episcopatum contendebant, literis ad Gallias, Hispaniasque, imò & in ipsam Africam transmissis, repressit, decretumque suum poenā sancivit. *Sciet quisquis hoc postposita patrum & apostolica sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Conuulsa enim studio sit quiddam interdictum toties usurpatur.* Sanè verita fuerat à Paulo, & à Concilio Niceno, festinata Neophytorum ordinatio; sed de Neophytis loquebantur qui recens essent fidei inferti. Inde tractum exemplum, ut Neophyti dicerentur novitij Clerici, & nuper è monachorum vel laicorum numero in Clerum adscripti, quos ad summum sacerdotium statim non admitti debere Concilij Sardinensis canone XIIII. decretum fuerat; sed nullo metu poenae coercerentur. Hanc auctoritate sua Zozimus addidit contra novitios istos Clericos, quos ipse post Concilium Sardicense Neophytos appellat, & ad Presbyterij & Diaconatus gradum prohibitionem extendit, ut docet ipse in epistola ad Patroclum Arelatensem: *Si enim Apostolus Neophytum sacerdotio non statim cumulari jubet, & hoc idem Canonum statuta sanxerunt; hoc addimus nostra sententia, ut quisquis de cetero vel summo sacerdotio vel presbyterij gradu vel diaconatus crediderit cumulandum, sciat & se gradus sui subire jacturam, nec in illum valitura esse quae contulit, ut saltem ab ordinatione precipiti metus iste summoveat quos examinata discussio coercere debuisset.*

Quid commemorem Celestinum? qui literis ad Episcopos Viennensis & Narbonensis provinciae datis, se in speculis à Deo constitutum officij sui instinctu provocari dicit ut ab illicitis revocet, & vigilantiae suae diligentiam comprobando, quae coercenda sunt reserret, & quae observanda sunt sanciat; statimque regulas quamplurimas decernit de iis quae ad Clericorum quandam amictum supersticiosum vitandum, qui in Ecclesiis Gallicanis inoleverat, & quae ad ordinationes pertinent. Ex quibus omnibus vel morosissimo cuique liquidò constare poterit, apostolicam sedem, ante Va-

Concilii Zeleni
fragoentum sub
Zozimo, quod
vulghè Τηλέτιο δι-
citur.
Ferrandus Diaconus
Tit. 16. Præ-
sca, Presbyteri,
& Diaconi ab
uxoribus ab-
stinent. Conc.
Charth. c. 1.
Conc. Zeleni.

Socrates, lib. 6. His-
tor. c. 23. Γενε-
σῆσαι ἀναγκάζει
ἐπιτομή, ἢ ἐστὶν, ἐν
Θεσσαλία, ἢ ἐν Ἰε-
μα, καὶ ἐν τῷ ἐπι-
κράτει τῶν ἑσπερίων
καὶ ἐν τῷ ἐπι-
κράτει τῶν ἀνατολικῶν.
ἐν τῷ ἐπι-
κράτει τῶν ἀνατολικῶν
ἐπιτομή, ἢ ἐστὶν, ἐν
Μακεδονίᾳ, καὶ ἐν
Θεσσαλίᾳ, καὶ ἐν
Γαλικίᾳ, καὶ ἐν Ἰου-
δαιᾳ, καὶ ἐν Συρίας.
ἐν τῷ ἐπι-
κράτει τῶν ἀνατολικῶν
ἐπιτομή, ἢ ἐστὶν, ἐν
Μακεδονίᾳ, καὶ ἐν
Θεσσαλίᾳ, καὶ ἐν
Γαλικίᾳ, καὶ ἐν Ἰου-
δαιᾳ, καὶ ἐν Συρίας.

Exant decreta
Innocentij in Co-
dice Canonum
Ecc. Rom.

Innoc. in Decret.
tit. 41. c. 46. & 47.
Epist. Concil.
part. 3. ad. 4.
Ἴνα μὴ καθίσταται ἡ
ἐπιτομή, ἢ ἐστὶν, ἐν
Μακεδονίᾳ, καὶ ἐν
Θεσσαλίᾳ, καὶ ἐν
Γαλικίᾳ, καὶ ἐν Ἰου-
δαιᾳ, καὶ ἐν Συρίας.
ἐν τῷ ἐπι-
κράτει τῶν ἀνατολικῶν
ἐπιτομή, ἢ ἐστὶν, ἐν
Μακεδονίᾳ, καὶ ἐν
Θεσσαλίᾳ, καὶ ἐν
Γαλικίᾳ, καὶ ἐν Ἰου-
δαιᾳ, καὶ ἐν Συρίας.

Zozimus in Decr.
c. 1. & 2.

Timoth. 3. Can-
cil. Nic. can. 1.

De Neophytis
lib. v. Sanna-
tum in Notis ad
Gesfild. Vindob.
lib. 1. c. 1.